



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 18. Lusitanæ classis Præfectus trucidatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



## §. XVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1508.*Lusitanæ classis Præfectus  
trucidatus.*

Cum itaque Lusitani totam noctem in præcidendis anchorarum funibus exegissent, tandem fugæ atque pelago sese committebant. Ast hostium classis omni virium contentione fugientes insequebatur, tantumque globorum imbrem in prætoriam Lusitanorum navem effundebat, ut illa plurimum ex hesterno certamine jam attrita omni ex parte aditum aquis irruentibus præberet, ac demum hosti in prædam cederet, ipso etiam Almeida trucidato, cujus Pater Indiarum Prorex non modo sibi a lacrimis temperavit, sed & ab aliis illum lugeri haud sustinuit inquiens: „ Filii mei „ mors laudabili potius invidia quam lacrimis digna est, unde ploratu illam „ dedecorare nefas foret; cum enim omnes homines ineluctabili necessitate „ morti obnoxii simus, vitam, quam naturæ debebat, cum patriæ suæ ac Religioni adversus Christi ac Regis hostes defensæ reddiderit, num magis „ gloriosam mortem oppetere potuisset? „

*Marian. lib. 29. n. 69. 70.*

B 4 §. XIX.